



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LIII. Iusta Dei esse judicia, quando homines tentari permittit, siue vincant, siue victi resurgent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

triumphalem, quam æterna supplicia promereri. Ideò namq; tempus illud agon vocatur, quia in illo certatur pro re summi momenti. Neque sine gravissimis caussis illud certamen permitit cælestis Agonotheta, qui vt omnem vitam hominis vult esse tentationem; ita neque in termino vitæ vult nos esse immunes, vt semper vigilemus. De temptatione igitur paulò altius est disputandum.

C A P V T L III.

*In sua Dei esse judicia, quando homines tentari permittit,
sine vincant, sine victi resurgent.*

Erigus, famem, siti, carceres, morbos, mortes corporum, habere in diuina prouidentia locum, facile fuit ostendere; rectè enim illis vtitur summa illa & dominatrix potestas ad virtutis exercitationem, aut malorum facinorum pœnam. Illa maior est quæstio: An diuini judicij æquitas pati possit, vt homines labantur in temptationem? Siquidem, tesse lob, *Militia est vita hominis super terram*, seu, vt alia habet translatio: *Tentatio est vita hominis super terram*, nec vita tantum, sed etiam mors hominis est tentatio, quæ cum plena sit periculi, plena est etiam questionis; magis, quam si de fame, siti, morbis, alijsque malis agamus. *Accidentibus illis corporis malis affliti* Lactant. lib. 6. *homines ad DEV M plerumq; configiunt, mitigant, obsecrant, cre-* de ira. cap. 16. *dentes eum posse has injurias propulsare;* at quid juuat in peccatum cadere? quid tentari? an non, qui scandalum ponit, videtur esse cauſa ruinæ? Ita de ipsis temptationibus à Deo vel permissis, vel immisis quidam tentantur. Et certè, quam diu in mundo vi. Thom. de nimis, sine tribulatione & temptatione esse non possumus. Immò, nemo Kemp. lib. 1. tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando temptationes, & de linit. c. 13. plenè eis carere non possumus. Auget questionem communis hostis nostri ingenium vaferimum, odium plus quam inueteratum, artes & arma terrifica; hominum simplicitas, viriumque imbecillitas ad resistendum, experientia quotidiana succumbentium, etiam in ultimo mortis agone. Ut perinde hæc animi mors longè sit, quam corporis magis metuenda. Quā igitur judicij diuini æquitate, aut quibus justis de caussis hæc contin-

D d d 2 gunt?

gunt? Tentatus est David, & cecidit; tentatus Petrus, & Christum negauit; tentati reliqui Apostoli, & omnes, relicto eo, fuge-
runt; denique quisquis damnatus est hominum adulorum, per
tentationem in peccatum, per peccatum in infernum lapsus est.
An non igitur præstaret, tentationes in Mundo nullas esse, cum,
sicut occasio furem, ita tentatio videatur facere peccatorem?

II.

Hæ ipsa de permissione temptationum, tentatio maxima-
est, & quidam scopulus piorum; ita tentatio serit temptationem.
Sed multa sunt, è quibus ei fiat medicina. Primum est, si consi-
deremus, ob quasnam causas, fomitem in nobis, concupiscentiasq;, & alios inordinatorum motuum fontes reliquerit Deus,

Invita Leon-
ard. Lessij,
quam Bru-
zelliis edidit
Thomas Co-
urtois. c. 12.
§. 64.

Nam, ut in vita optimi P. Leonardi Lessij legimus, Lessius has
affectiones, tribus potissimum de causis, tamquam hereditarios hostes,
post primorum scelus parentum, in nobis relitas volebat. Primo, ut
propria miseria inopieq; conscijs, dum natiuo quodam pondere in cala-
mitates ac sceleris labi nos perspicimus, deposito fastu, ipso nos abjici-
mus. Deinde ut esset insignis victoriarum locuples materia, dum
quotidiana militia aut vincere generosi, aut occumbere socordes cogi-
mur. Tertio, ut auxiliares è calo & opes, & copias gerendo bello
deponcamus, adeoq; utili quadam necessitate, Deo frequenter suppli-
ces, magno bono nostro accidere compellamur.

III.

Hæ causæ sufficiunt ad Devm non iam excusandum, sed
laudandum, ob morbos animi tam utiles in nobis relictos. De-
inde, si de interno malo loquamur, etiam atque etiam expen-
dendum est, ferociissimum quidem esse, & maximarum virium
infernum hostem, voluntateq; acerbissima, sed non minus in
manu Dei Mundum gubernantis, atque cetera omnia. Sicut
ergo diuina prouidentia mari posuit terminos; sicut continet
flumina, imbres, tempestates, bellus, aliaq; mala; ita etiam
frenat diabolicam potestatem, eiusq; vim intra certos limites
cancellosq; cohibet. Id eum posse, docet eius omnipotentia;
id nosse, ostendit summa sapientia; id velle, demonstrat infinita
bonitas & charitas: ut proinde non sine graui culpa sit, qui ei
culpam ascribit; & crudeliter cogiter, quicumque eum accusat
crudelitatis. Dolis pullulat orcus, ex astutis consutus est caco-
dæmon; fraudibus, mendacijs, violentia, blanditijs nouit vii;
nouit

nouit & Deus, quibus auxilijs hæc omnia superentur. Infinita est eius scientia, ut nullius illi possit error ascribi: infinita vis & potentia, ut non deficiat eius potestas; infinitus amor, ut de nulla possit inclemencia accusari.

Hinc omnia ei tentatoris consilia, omnes dolii, omnia strategemata sunt cognitissima. Hinc perspicue videt quid orcus possit, quantæque sint vires Acherontis; quanta item hominum imbecillitas. Omnia enim ei manifesta sunt. Sed & omnia possunt apud DEVM. Hinc manum porrigere, hinc opem afferre etiam in rebus desperatissimis nouit; & ipsos etiam auxilijs suis homines quodammodo facere omnipotentes: ut dicere adeo quispiam ausus sit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Esto igitur, immanissimi sint Alastores, & spirent minas, more gigantum sub aquis gementium; nihil tamen omnino possunt efficere, etiam contra puerum vix è cunis exeuntem, aut contra fragilem sexum puellarum; aut contra grallis incidentem senem, aut contra quemcumque alium, quantumcumque tandem imbecillum, diuino robore munitum. Nonnè gigas erat Goliath, & armis 1. Reg. 17. 42. ferreis instructus? processit contra eum pastorius puer, baculo & funda, gladij & balistæ loco armatus, & exiguo lapillo in terram applausit lacertosum gigantem; proprioque gladio con truncauit. Hæc est manus Domini: hæc dextera excelsi. Scit ergo Deus, ubi, & quando sit succurrendum; & vim habet, quam possit succurrere. *Quoniam quis DEVS, prater Dominum?* qui docet manus meas ad prælium?

IV.

Cur igitur tot quotidie succumbunt, inquires, cur tam pauci evadunt victores? An fortasse, qui nouit nostram debilitatem, & vires habet, quibus succurrat, succurrere non vult? Absit, ut hoc credamus; nihil magis repugnat diuinæ bonitati. Infinita est Dei charitas. E quo fonte promanat, ut ei non possit deesse voluntas succurrendi. Neque aliquibus dumtaxat, sed omnibus succurrit, qui omnes vult saluos fieri. Spectat igitur ad charitatem illius infinitam; ut, cum Satanae potestatem facit nos ten tandi, non solùm id faciat ad utilitatem nostram, & aliquem cum tentatione prouentum capiendum, sed etiam ut sufficiencia nobis auxilia suppeditet, quibus temptationem superare, & victo-

V.

Dddd 3 res

I. Cor. 10. 13. res euadere valeamus. Hoc est, quod Paulus dicit: *Fidelis est Deus, qui non patientur vos tentari, supra id, quod potestis; sed faciet etiam in tentatione prouenitum.* In eo ergo est fidelis, quia seruat, quod promisit; promisit autem se cum homine futurum, siue per flammam, siue per vndam ei sit transeundum. Esse autem cum homine, est, ei manum porrigeret adiutricem, & gratiae sufficientis auxilio eum non destituere; neque permettere inferno hosti, ut quamcumque hora, aut tempore, aut loco, aut modo, aut impetu, eum, qui tentandus est, aggrediatur. Permittit itaque Deus, sicut pius Agonotheta, certamen, ut vincamus, & cum corona

D. Augustin. triumphemus. Siquidem, ut ait D. Augustinus, *Tanta est Dei bonitas, ut numquam haec mala permitteret, nisi sciret ac posset maiora ac praestantiora bona ex iis elicere, pro suis electis.* Quia, ut Agonotheta & modum, & limites certaminis prescribit; ita certas leges ac condiciones ponit Deus diabolo praelium machinanti. Quod vel in Iob ostensum est, in quem nihil potuit, immo nec in oues, nec in ceteras eius fortunas, nisi quod a Deo illi concessum est. Atque ut videoas potestatem limitatam: *Ecce, ait Deus, universa, qua habet, in manus tuas sunt: tantum ne in eum extendas manus tuam.* Hem, ut manum illi ligat! Ipse Pilatus, qui se iactabat dicens: *potestatem habeo crucifigere te, non habuit, nisi quam illi diuina maiestas permisit.* Vnde & Christus dixit: *Non habero potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset de super.* Hac de causa D. Augustinus & D. Gregorius scriperunt, Satanæ voluntatem semper esse malam & iniquam, potestatem autem semper esse bonam & justam; quod enim ille vult facere iniquè, Deus permittit justè: immo & benevolè. Ex his conficitur, illum timendum non esse, qui nihil potest facere, nisi quod ei a bono Deo conceditur; enim uero Deum timendum esse, quem diabolus timere cogitur. Quamuis enim Hydra ista septem capitibus terribilis exurgat; quamuis decem cornibus minetur; quamvis metuenda cauda volumina vibret; neque tamen mordere, neque arietare, neque alligare quemquam potest, nisi Numinis permisit, quod perinde solum timendum est, ne in scelerum nostrorum peccatum frumentum laxet Tartaro draconi. Nam iste Behemoth est principium viarum Dei, & qui fecit eum, applicabit gladium eius.

Job. 1. 12.

Heb. 19. 13.

Iob. 40. 14.

Gla-

Gladius illi est, sed vincētus, & neminem valens lādere, nisi à Deo applicatus: vsque adeò, vt ne gregi quidem porcorum possit obesse, nisi nutu cuncta gubernantis. Siue ergo in pœnam Matth. 8. 32 quis peccatorum permittitur tentari, iustum id est; siue in certaminis occasionem, & ad coronam promerendam, à bono id sit parente, vt qui simul manum præbet auxiliatricem, gratiamque largitur, qua victoria possit obtineri. Pigritia est, gratiā non vti; culpæ, nolle vincere. Qui vincitur, suo crimine vincitur, non Dei destitutione. Hæc probatio est. Impij, ac reprobri tamquam puluis sunt, quem proicit ventus à facie terra; nam in tempore tentationis recedunt: justi autem tamquam solidum frumentum Amos. 9. 9 permanent in cribro, etiam identidem concussi; sicut Apostoli in Christo permanerunt, vno Iuda, tamquam palea, auolante & pereunte, & dum ex arbore penderet aridus, palea instar ventilato. Ideò unusquisque sollicitus esse deberet, ait Thomas de Kempis, circa temptationes suas, & vigilare in orationibus, ne diabolus locum inueniret decipiendi, qui numquam dormitat sed circuit querens, Thom. de Kemp. lib. 1. de Imit. c. 13. quem devoret. Hæc in genere dicta sunt. Res longè clarior fiet, si nunc ad classes eorum, qui tentantur descendamus.

Tres sunt classes eorum, qui temptationibus agitantur. Nam & qui vincunt, & qui victi resurgent, & qui victi pereunt, tentantur. Omnia hæc justissimè permitit Deus, tamquam Dominus, tamquam amator, tamquam miserator, tamquam judex. De justis & ad cælum destinatis, facile est cauſas reperire. Exempla & cauſas enumerat ipse diuinus Spiritus. Noë in arcam, Sapi. 10. 4. velut in custodiam inclusus, per contemptibile lignum seruatus est. Gen. 7. Coæctus est Loth urbem suam deserere, at sic incendium euasit. Gen. 19. Quis has temptationes existimet fuisse ad perdendos eos, quos è grauissimis periculis liberavit? 1. Igitur aliqui tentantur, vt defendantur. Multi aternū perirent, nisi sic perirent. Multis profuit carcer; multos exilium, in cælestem duxit patriam: multi dum fluctuant, cum Apostolis clamant: Domine, salua nos, per rimus. Adiuuat certantes, qui certamen indixit, ait S. Augustinus serm. 105. 2. Tentantur quidam, vt & divina in illis prouidentia, eorumque virtus heroica illustretur. Qua de cauſa de Jacob dicitur: Hac profugum ire fratris justum deduxit per vias re. Sapi. 10. 10. Etas,

Etas, &c. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc enim & iram fraternalm, & fraudem circumuenientium, & inimicos, & seductores omnes, etiam per quemvis suapte natura imbecillum, gratia tamen divina firmatum, vincit. Hac victoria igitur diuinæ prouidentiæ illustratur; & honestos, hoc est, honore dignos facit illos, quorum etiamsi vires nouit, permittit tamen tentari, &c, velut igne probari, ut magis ipsa per auxiliū suum enitescat. Siquidem

a, Cor, 12, 9. *virtus in infirmitate perficitur.* Quemadmodum enim in antiperistasi contingit, ut cum cingit frigus, calor se intendat, & frigus se augeat, calore circumstante; ita virtus heroica cum demum se erigit, iuscitat & opponit, cum hostem adesse animaduertit. Sic palma nititur contra pondus impositum. Sic luctator vires colligit, cum in arena instat aduersarius: & quia videt proprias vires non esse sufficietes, diuinas implorat, & clamat:

Psal. 70, 12. *Deus, ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.* Etsi enim proprijs viribus diffidat, scit tamen se omnia posse in eo a quo confortatur, si velit officium suum facere, ac velut strenuus miles, contra mundum, carnem, dæmonem pugnare. Hinc Christiano pugili S. Chrysostomus tale classicum canit. *Delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare.* Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, condicionem attende, militiam nosce: pactum, quod proponisti: condicionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti. 3. Ex augmento virtutis, præmij quoque enascitur augmentum. Cur parent filium ad castra & prælia mittit? non ut cadat, sed ut vincat, & spolia cum laude referat. Mater aliqua mollis fortasse patrem asperum, & tyrannum vocet, cum cum videt in hostes & pugnas mitti. At longè aliter heros aliquis judicabit, qui se quoque hac via meminit ad gloriam peruenisse. Hoc est, quod dicitur: *Iustorum autem anima in manu Dei sunt, & non tangent illos tormentum mortis.* Visi sunt oculis insipientium mori: & estimata est afflictio exitus illorum; & quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt,

Sapi. 3, 11.

sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis brevi disponentur: quoniam Deus tentavit eos, & inuenit illos dignos se. Tanequam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. & in tempore erit respectus illorum. Et præmium, & auxilium Dei, temptationi victoribus proponit S. Dionysius, dum ait: *Certantibus Dominus premia proponit, ut Deus;* S. Dionys. *cap. 2. de Ee.*
leges autem certaminis tulit ut sapiens premiaq; vincentibus decora clei. hier.
constituit, & pulcherrima: Et quod est profecto diuinus, ipse, ut est sum-
me clausus & bono, in suis bellatoribus vincit, dum in illo habitans,
pro illorum salute atq; Victoria aduersus mortis & corruptionis impe-
rium pugnat. Quid ergo conqueri de Deo possumus, si nos finat
pugnare, cum ipse velit in nobis, & pro nobis pugnare, ut nos
tamquam viatores queat coronare? 4. Quin etiam, sicut per
sentes itur ad rosas, ita vult Deus, per temptationes, non raro in
hac quoque vita ducere hominem ad honores. Ante enim depri-
mit, quam attollit. Hec est sapientia illa, qua venditum justum Sapi. 10. 13.
non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descendit q; cum illo Gen. 37. 26.
in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sec-
ptrum regni. & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: &
mendaces ostendit, qui maculauerunt illum. & dedit illi claritatem
eternam. Quod de Joseph Patriarcha intelligitur, & in omnibus
illis verum est, qui per calumnias impiorum, prius pressi, postea
fuere tantò sublimius execti. Ne tristeris inimici lingua tradu-
cus: audiit hoc Deus, qui efficiet, ut inde longè clarior euadas.
Montes & aspera viarum superanda sunt ante, quam ad plani-
tiem peruenias. Superbus dæmon plurimos non audet oppug-
nare, quia metuit, ne ipse succumbat, eosque, quos aggreditur,
reddat illustriores. Quod cùm omniscius ille Mundi modera-
tor videat, occasionem quodammodo dat metuenti, ut pugnam
aggressus vincatur. Sic ad satanam aiebat: Considerasti seruum Iob. 1. 8.
meum Iob, quod non sit ei similis in terra? Laudauit Iobum coram S. Gregor.
hoste, qui solitā inuidiā excitatus in eum exardescet. Exarsit, mor. 2. 5.
& dixit: Numquid Iob frustra timet DEVM? hoc est, non colit te,
quia Deus es, sed quia beneficus es, & eum bonis vndique val-
lasti; qui imperfectus, & concupiscentia dumtaxat amor est.
Permisit ergo illi, qui melius Iobi amorem nouerat, ut bona ab

Eccc

ca

eo auferret; quin & ut liberos charissimos, & ipsam adeò auferret sanitatem. Sed quid inde consecutus est satan? nihil, nisi ut Iob victor eius, in exemplum patientiae, toti Mundo inclareset; perspicueque appareret, etiam omnibus solatijs sublatis, ab eo DVM, non propter beneficia tantum, sed in ipsis etiam tribulationibus amatum fuisse. Author est Valer. Maximus, Epaminondam Ducem Thebanum, fortissimè in bello dimicantem, lethaliter læsum, morientem rogauisse: *An suus clypeus effet saluum & hostes casi?* Cùm illum saluum, & hostes cæsos audijset, aiebat: *Nunc finis vita mea: sed melius & altius initium aduenit: nunc Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* Ergo homines strenui, pro laude & gloria humana ita certant; & nos pro gloria æterna præclium detrectemus? *Si tantum terrena gloria licet, de corporio, & animi vigore,* ait Tertullianus ad Martyres, cap. 4. ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanae, possum dicere: *Modica sunt iste passiones ad consecutionem gloria caelestis.* Tanti vitrum, quanti verum margaritum? *Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum aly pro falso?*

- VII. 5. Tentatio hominem erudit. Nec iam illud urgebo dicendum, *Quod noset, docet.* Illud inculco: *Qui non est tentatus, quid scit?* Nec sit homo compati, qui nescit pati. Qui numquam fuit tentatus, quo modo tentatis succurret? Omnia nouerat Christus, experimentaliter tamen scientia voluit ipse tentationes experiri, ut ex ijs quoque sciret, *eis, qui tentantur, auxiliari.* Vnde Hebr. 4. 15. impensis credere possumus, ipsum compati infirmitatibus nostris, Vide & Hebr. ex ijs, quæ ipse passus est. Qui ægrotauit, meminit, quæ medicinæ, 2. v. 38. & aut à quo medico sit sanitati restitutus. Eundem ergo & alijs hist. Lausiae. medicum medicinamque suadet. Sic bene consultit, qui bonis consilijs se ipsum adiutum recordatur. Certè, ut pueri ad matrem configiunt, cùm aduersi illis aliquid contingit; ita qui tentatur, & suam agnoscit imbelliam, tantoque inde humilior euadit, & videt quantopere diuina manu indigeat, ad quam sibi censem recurrendum. An non rectè ergo Devs suos tentat, ut erudit? terit, ut poliat? ducit in campum, ut doceat manus nostras ad prælium? & dicat tentatis ad se configentibus anima Non
- Ecli. 34. 9. Psal. 17. 35.

Non ignara mali misericors succurrere disco?

Virgil. Ilb. 2.
Æneid.

6. Quid, quod nulla ferè virtus heroicus actus, nisi inter tentationes, manifestat? Quanta castitatis laude celebrantur Ioseph, & Susanna? ille à Putipharis uxore, ista à senibus & judicis primis tentata fuit: vicit vterque temptationem, & splendidè triumphauit. Eapropter etiam Catharinæ Senensis dixit Christus, si quis ab se perat castitatem, aliamue virtutem, permettere se, vt grauiter contra virtutem illam tentetur; temptationem enim incitare ad orandum, ad jeiuandum, ad corpus cilicijs & flagellis castigandum, & alia remedia exquirenda; itemq; ad actus exercendos, quibus virtus illa celerius perfectiusque stabilitur. Ita maior fiducia è maioribus elucet periculis, profundior humilitas in contemptu grauiore, summa fortitudo in summis malis exercetur. Vides quid pro sint temptationes? Refert Plutarchus, apud Lacedæmones, deos deasque omnes hastatos fangi solitos, tamquam ne illi quidem orium agant, sed inter bellica studia certaminaque exerceantur: *Militia est vita hominis super terram.* In hac militia pulcherrimum est, Imperatorem stantem mori, militem autem militantem & præliantem.

Plutarch. in
Apophtheg-
matis Laco-
dæmoniæ.
Iob. 7. 1.

7. Inter flumina semper commota, & pigras paludes illud est discriminem, quod flumina semper sint puriora, paludes autem aquis stagnantibus putrescant. Idem differimen est, inter eos, qui temptationibus agitantur: excitantur enim ad feruorem animi atq; alacritatem; & eos, qui malacia quadam obtorpescent. Siquidem è tranquillitate securitas, è securitate negligentia, & socordia, ex his exitium pullulat. Docuit idem & prima Ecclesiæ actas, & nostrum hoc bellis factum sæculum. Semper enim cùm pax fuit, pietas iatepuit, vitia exæstuârunt; at persecutione aut temptatione insurgente, homines ad spiritualia arma confugerunt, instituerunt crebriores compunctiones, vt olim in Be- thulia factum; aliaque opera pietatis. 8. Cùm justi temptationibus tamquam aurum in igne probeantur, purificantur itidem, vt aurum, & seoriam deponunt vitiorum. Abstergitur fuligo & maculae, mollescunt, instar liquefacti auri, incalescunt, immò ignescunt charitate; & quasi holocausti hostia Deo offeruntur. Ob has similesque causas Sancti temptationes, tamquam Dei amantis

VIII.

Judith. 8. 33.
Sapi. 3. 5.

Eccc 2 argu-

Psal. 25. 2.
Iacob. 1. 2.

argumenta, obuijs vlnis amplectuntur, luctarique cupiunt, qui cumque volunt coronari. Hinc David ait: *Proba me, Domine, & tenta me:* & D. Iacobus: *Omne gaudium existimare, cum in tentationes varias incideritis.* Haec nota boni militis est, proelijs gaudere. Ignauis, cum pugna imminet simulat se ægrotare, aut negotium excogitant, ne cogantur certamini interesse. Maria Ægyptiaca, quæ 17. annis Veneri seruierat, postea quoq; in eremo pœnitentiam agens, totidem annis stimulis libidinis est agitata, quos vita seueritate repressit vicitque. Idem alijs est agendum. Nec enim sufficit credere, sed fidei opera sunt adiungenda, & athletici labores, atque in primis egregia abstinenia omnia mundanarum illecebrarum. Quia teste S. Hieronymo: *Difficile, immò impossibile est, ut presenti quis, & futuri fruatur bonis; ut hic ventrem, & ibi mentem expletat; ut de deliciis transeat ad delicium: ut in utroq; saculo primus sit; ut in celo & terra appareat gloriosus.*

IX.

S. Gregor. lib 19. Moral. cap. 5 & 6.

At classis altera est eorum, quos Deus diabolo permittit tentandos, etiamsi eos videat casuros. Quale hoc iudicium? Iustissimum. Primo, quia eos in casum non impellit, sed cadere permittit volentes, & libero suo arbitrio abutentes. Deinde, quia id ipsum in eorumdem permittit plurimas utilitates. Si enim, ut S. Gregorius docet, vtili & prudenti consilio electi hinc inter raptus & elevationes, inde inter infirmitates & depressiones, iam in altum sublimati, iam quasi in abyssum demersi, velut anticipantes librentur, ne aut in superbiam, aut in desperationem corrulant, sed inter utrumque via recta in celum gradiantur: quis sit exemptus à tentatione, qui non est exemptus à periculo superbiendi? Anteversus, in fabulis, quoties terram attigit cadendo, roties fortior surrexit. Ita multi non essent in fide, non in spe, non in charitate tam firmi, si non cecidissent. Ut etiam hic valeat illud, *Cum infirmor, tunc fortior sum.* Item: *Virtus in infirmitate perficitur.* Sicut enim, qui in itinere comites longè antegressos dormiendo neglekerunt, postea tanto celerius currunt, ut eos assequantur; ita, qui semel lapsi resipuerunt, meritò censem, præteritam offensam, maiore charitate compensandam; & humiliati judicant, se, quidquid faciant, numquam satisfacturos. Exemplum est clarissimum in Apostolis, & præcipue in S. Petro

Simon,

Simon, Simon, ait Christus, Ecce satanas expetivit vos, ut cibraret, Lue. 22. 34.
 sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: Et
 tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cùm dicat Christus:
 satanas expetivit vos, elicit S. Ambrosius, satanam facultatem pe-
 tiuisse, Apostolos tentandi, & hinc inde, instar tritici, velut, cri-
 bro gyrandi. Quod sanè Deus annuit, sed vt, velut triticum, vlt.
 purgarentur; humilioresque & cautores surgerent, & post ca-
 sum tanto essent ardentes, in Deo amando, promptioresque
 in proximo adjuando. Quamobrem Christus non orauit, ne
 discipuli sui tentarentur, aut ob scandalum dispergerentur; sed
 vt Deus cum temptatione prouentum faceret. Hoc multis alijs
 contigit. Non disceremus à Magdalena surgere, nisi cecidisset.
 Aliunt chirurgi, fractum se crus ita posse sanare, & solidum red-
 dere, vt sano citius loco os rumpi possit, quām vbi est restitutū
 integrati. Ita quidam longē sunt firmiores & constantiores,
 postquam à peccato sunt sanati. O qualis post lapsum fuit pœ-
 nitens Dauid? quos non psalmos cecinit? quæ non suspiria fu-
 dit? ô quales fuere Marix Ägyptiacæ? Pelagiæ? mille alij &
 aliae pœnitentes? sicut panni loti, pulchriores sunt post munda-
 tionem, quām si numquam deformes extitissent. profuit ergo
 illis non solum tentatio, sed ipsa etiam de temptatione ruina, in-
 stimulum pœnitentia conuersa. Denique illud de Deo sentien-
 dum est, eum nosse, cur diabolus homines oppugnet, nempe ex
 odio ipsius Dei, de quo se vult in amicis eius vindicare, qui sunt
 imago & similitudo Creatoris, & ad eam gloriam conditi, unde
 diabolus excidit. Cùm ergo hoc nōrit Deus, caussam nostram
 suam esse judicat; quare ad nos profugnandos, armandosque
 suā charitate impellitur. Si ergo Dauid non horruit gigantem,
 sed in eum iuit in nomine Domini Dei Israël, quia *ipsum erat*. 1. Reg. 17. 47.
bellum, Dei enim causâ id gerebatur, de Dei honore agebatur;
 quantò magis Deus ipse suam caussam in nobis suscipiet prote-
 gendam? Nemo igitur diffidat, aut desperet, nemo conqueratur
 de suo Conditore, si in varias temptationes inciderit: habet enim
 eundem à parte sua flantem, & magna ei emolumenta paran-
 tem. Illud potius dicat: *Exurge Domine, & iudica caussam tuam*. Psal. 73. 22.
 Tu adiua me, quia pugno pro te; scio, quia non patieris suc-
 cumbere,

S. Ambros.
 lib. 1. de ver-
 cat. gent cap.
 vlt.

390 Cap. LIV. Cur quidam tentati vincantur, & non resurgant?

cumber, nisi volentem; & eriges lapsum ad te clamantem. Pa-
lastra, stadium, agor, pugilatus est vita nostra; quam diu nobis
S. Dionys. de viendum, tam diu certandum est. Hinc S. Dionysius scribit,
Eccles. hie-
rarch. cap. 7. eos, qui baptizantur, oleo inungi, ut sciatur hoc signo, illos in-
ungi quasi athletas Christi, atque adeò vocari ad sacra certamina
pro fide & pietate, oboeunda. Additque, etiam mortuis eisdem
solere oleum infundi, quasi Athletis morte consumptis. Atque
tunc quidem, ait, olei unctio baptizandum anocabat ad sacra certa-
mina: nunc autem (in morte) infusum oleum designat eum, qui de-
functus est, eadem sacra exegisse certamina, sicq; fuisse consummatum.

C A P V T L I V .

*Instisima quoque esse judicia Dei, quibus permittit homines
plurimos non solum tentari & vinci, sed etiam ita vinci,
ut numquam resurgent.*

I.

Hebr. 2. 18.

 Ertia classis est eorum, qui tentatione prostrati ater-
num pereunt. Christus quidem etiam tentatus est, sed
exteriori tantum, à diabolo temptationem proponente
potuit tentari, non autem interiori concupiscentiā, aut motu
inordinato phantasiae, qui in Christo esse non potuit. Itaque
in eo, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur,
auxiliari: quia temptatione sua meruit nobis opem & auxilium in
omni temptatione. Nos quoque, si temptationem vincamus, me-
ri multa possumus; & meruerunt Sancti, vt in eo, quod passi
sunt, nobis idem patientibus auxilientur, apud Deum. Vnde
SS. Virgines, qua pro castitate usque ad mortem certarunt, in
temptatione carnis opitulantur: SS. Martyres, in temptatione fidei,
& persecutione haeticorum nobis robur impetrant inuocati:
S. Iob & Eustachius, in infortunijs & aduersis patientiam: in
infamia & ignominia S. Joseph Patriarcha, & S. Susanna, quia
hi pro castitate infamiam subierunt. Atque in hoc genere &
merito nos tentati Christo possumus assimilari: nequaquam
autem in illo, vt tantum tentemur à Satana exteriori tentatio-
nem proponente, quia interiori quoque concupiscentia nostra
allicitur, & velut fomes concipit ignem, motusque phantasie
inor-